

hoc medium ad tales fines consequendos, non solum fit periculosum, sed fallax, & superstitiosum, cum Deus non promiserit victoriam foventi iustam causam, innocenti, vel veritatis assertori: ideo etiam in his casibus prohibetur. *e. 22. 2. q. 5. c. 1. & 2. de Purg. Vulgar. L. 8. tit. 14. p. 3. ibi: Pero los sabios que hicieron las leyes, non la tovieron por derecha prueba, è esto por dos razones: la una, porque muchas vegadas acaesce, que en tales lides pierdesse la verdad, è vence la mentira: la otra, porque aquel que ha voluntad de se aventurar a esta prueba semeja, que quiere tentar a nuestro Señor Dios.* Etiam prohibetur duellum, quamvis fiale non sit, sed fictum, quando scilicet non fit animo se vulnerandi graviter, sed tantum leviter, ad honorem, & famam conservandam, & ne credatur, eos duellum ex timiditate fugisse. Nam finis adque Legem non tantum est cades impedire; sed usum detestabilem duellorum tollere, & in hoc casu istud duellum scandalum apud populum generaret, cum verum duellum crederetur. Præterquam quod, si hoc permetteretur, facile posset accidere, quod animis utrimque excitatis, verè ad cædem perveniretur. Ideo tale duellum intelligi prohibitum tenendum est cum *Mendo L. 3. de fure Academico, q. 29. Append. de Duell. S. 4. contra Pignat. t. 9. conf. 88. n. 92. Trull. in Decal. t. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 13.*

174 Licita tamen est acceptatio, vel oblatio duelli. 1. Ad vitam, vel bona temporalia defendenda, saltem contra iniustum invasorem, si alio modo defendi nequeant: quia tunc minus malum, ad majus malum avertendum eligitur: nec mortis periculum eligitur absolute, sed tantum gravissimum mortis periculum certum, in dubium, & incertum commutatur. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 8. l. eff. de Just. lib. 2. cap. 9. n. 49.* Et si tunc iniustus invasor succumbat, nec adhuc à vexatione iniusta velit desistere, circumstantes tenentur ei non succurrere: nam hoc esset iniusto duello ex parte illius cooperari. Si verò succumbat iniuste invasus, tenentur circumstantes ei succurrere, etiam si adjecta esset conditio, quod nullus succumbenti succurrat: nam hac esset illicita, & contra Jus Naturale, quo innocenti succurrendum est. 2. Licitum est etiam ad duellum provocare, quando causa, quæ in bello iusto erat terminanda reducitur ad particulare certamen duorum, vel plurium: quia

consultius est aliquorum dimittere vitam, quam vitas totius exercitus in periculum adducere: dummodo victoria alias lais certa non reddatur dubia per tale duellum. Et hac ratione admisit David Duellum, ad quod Goliath Exercitum Israel provocabat. Et tunc, etiam non adjecta conditione de non succurrendum succumbenti, circumstantes tenentur non succurrere, etiam si succumbat miles iustum habens causam bellandi: nam bonum commune prævalere debet particulari. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 12. 3.* Milites publica autoritate suorum Ducum licite acceptant duellum, non ob vanam curiositatem, sed ad conservandam bonam existimationem exercitus apud hostes. *Nav. in Man. cap. 15. n. 28. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 14. Azor, p. 3. lib. 2. cap. 5. q. 3. 4.* Similiter autoritate publica Judicis potest reus ad mortem condemnatus, adversus alium reum mortis pugnare zelo, quod exequatur iustitiam, & propriæ vitæ servandæ causâ. Nam talis occisor, ut Minister Iustitiæ sententiam mortis in alterum exequitur. 5. Adversus accusatorem potest acceptatus duellum inire, interveniente autoritate Judicis, si aliter non possit sententiam mortis, vel mutilationis, vel accusationem vitare: vel si inique à Judice condemnatur, ut duellum acceptet, vel mortem subeat: eam tunc esset potius defensio, quam duellum. *Azor, p. 3. lib. 2. cap. 5. q. 3. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39.*

175 Non tamen licet etiam viro equetris, & nobili duellum acceptare, ne timiditatis notam incurrat. Ideo *Alex. VII.* damnavit hanc propositionem, quæ est *2. Vir equestris ad duellum provocatus potest, illud acceptare ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Quia ad honorem defendendum non est necesse tam periculosum medium eligere: posset enim sic provocatus respondere: se duellum non acceptare in reverentiam Dei, Pontificis, & Regum nostrorum suis Legibus tale medium prohibentium: minime tamen extimere, seque esse promptum, & paratum, ad se ubique, & à quocumque defendendum, si aggrediatur, vel invadatur iniuste, vim repellendo vi: posset enim suo modo respondere, sicut *Turnus Anæ* apud *Virgil. lib. 12. Ille caput quatians, non metua fervida terrens aëta, ferox: Dije terrent, & Jupiter hostis.* Et sic nullam incurreret infamiam, quin, & laudem mereretur. Nec sic respondens excluderetur ab Ordine Militari

ri D. Jacobi in nostra Hispania, nam solum constituto iudicio hujus Ordinis excluditur, qui provocatus ad duellum, illud ex timiditate non acceptat, præcipue si à Majoribus provocetur, & ita jam in Hispania declaratum est in *Pragmatica contra duellantes.* Si in duello occiderit provocans provocatum poena ordinaria Legis Corneliæ, mortis scilicet, punitur occisor. Quod si provocatus occiderit, cum difficultum sit injuriato temperare dolorem. *L. 4. C. ad Leg. Jul. de Adulter. mitius, & poena extraordinaria puniri solet. L. 14. S. 6. ff. de Bon. libert.*

176 Poenæ Ecclesiasticæ in duellantes statuta inveniuntur in *Trid. sess. 25. cap. 19. de Reform.* ibi: *Detestabilis duellorum usus, fabricante Diabolo, introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lueretur, ex Christiano Orbe penitus exterminetur: Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, & Dominio Civitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, & si feudalia sint directis Dominis statim adquirantur. Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur excommunicationis, ac omnium bonorum suorum in proscriptionis, ac perpetuæ infamiae poenam incurrant, & ut homicidae juxta Sacros Canones puniri debeant, & si in ipso constituti decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli, tam in jure, quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione, ad id quemquam suaserint: necnon spectatores excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumque privilegio seu prava consuetudine, etiam immemorabili.* Hinc est, quod excommunicatio, quæ ab his incurritur est latè sententiæ. *Suar. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 26.* Princeps, & Magistratus, qui post duellum condonant, seu non puniunt duellantes, excommunicationem incurunt: quia, & incapax absolutionis est, qui non punit valde graviter provocantem ad duellum, etiam si pugna non sequatur, cum superior ex suo officio debeat à Republica crimina exterminare. *Lacr. lib. 3. p. 1. n. 855.* Hæ poenæ, quæ à Trident. in publica, & solemnitate duella sunt statuta, extenduntur à *Gregor. XIII. in Bulla Ad*

tollendam. Ad duella privata, quæ ex condito statuto tempore, & loco, quamvis sine patrini, vel sociis, & alijs solemnibus fiant: & in Dominis ea permittere, & omnes mandantes, instigantes, auxilium, vel consilium dantes, vel aliter cooperantes: item, in spectatores qui proposito, & in socios: etiam illi qui accedunt ad locum destinatum in effectum non pugnent, si per ipsos non steterit, quominus pugna committatur. *Clem. VIII. in Bull.* quæ incipit: *Illius vices.* Extendit dictas poenas ad milites duellantes ex inimicitia privata, ac ad Duces ea permittere, & subijcit interdicto Ecclesiasticæ Civitates, & Loca, in quorum territorijs duellum, scientibus, & non contradicentibus Dominis, vel Magistratibus committitur, & Sedi Apostolicæ reservat absolutiones talis interdicti, & excommunicationis. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. ex n. 19.* ab ea tamen, si est occulta, potest Episcopus absolvere: imò, & quilibet confessorius virtute Bullæ Cruciatæ.

177 Non incurritur hæ poenæ. 1. Si effectus non sit secutus, licet verè se aliqui provocaverint: quin etiam si comparuerint tempore, & loco constituti, si pugna non sequatur, non incurritur poenæ. Sic probabiliter *Hurtado, Diana, Barbosa, Fagundes, Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 28.* contra *Filiucium, Bonac, Escob. Tambur. & alios cum Lacr. lib. 3. p. 1. n. 849.* Nam poenæ prædictarum constitutionum ferunt in provocantem, & provocatum, qui pugnam, vel Monomachiam commiserint. Patrini tamen, & socij excommunicationi subijciuntur à Papa, etiam non secuta pugna, quam promovere sunt conati. 2. Si arma pugnantium ex se non sint destinata ad mortem infligendam; arg. c. 1. de *Torcasam. Trid. sess. 25. de Reform. cap. 19.* Si viri pugnent, vel baculo, vel mulieres evulsione capillorum pugnent, etiam si per accidens mors inferatur, non incurritur poenæ duellantium. *Pignat. t. 9. conf. 88. n. 92. 3.* Si ad pugnam non præcedat pactum, vel conventio, qua locus, & tempus simul, & copulative statuantur, non incurritur poenæ duellantium: quia pugna non fit ex conditio, v. g. si aliqui calore iracundiæ in loco minus apto ad pugmandum, se provocent, & nullo facto intervallo, ad locum aptum exeant ad pugmandum: quia tunc provocatio, & pugna non sunt duæ, sed una moraliter actio. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39.* Nec item poenæ incurritur, si in provocatio-

ne praefiniatur tempus sine loco, vel locus sine tempore: vel etiam si tempus, & locus absigmentur, si provocatio sit ad pugnandum, non armis, sed pugnis, vel etiam, si praedicta concurrant, si provocatus, non accessit ad locum. Nec incurrit excommunicationem Principes, qui ad minima mala vitanda, vel ex alia justa causa, permittunt duellum: nec illi, qui locum ad duellum concedunt infidelibus: siquidem *Trid.* expressè dicit: *Inter Christianos*. Si verò concedat locum ad duellum ineundum inter Christianum, & infidelem, excommunicationem incurrit. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 29. Lacr. lib. 3. p. 1. n. 856.* Consultentes duellum, non aliter incurrit excommunicationem, nisi verè in duellum suo consilio infuam. Secus si jam erat alius absolutè determinatus ad duellandum, vel si quis consulat duellum cum minori damno; v. g. ei qui volebat in duello contrarium occidere, consulat, quod solum usque ad vulnerationem, vel mutilationem pugnet: nam cum consulens minus malum non peccet, consequenter non incurret duellantium poenas. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 11. n. 15.* Imò excusari ab his poenis consulente duellum, qui ante duellum, vel saltem ante provocationem ad illud, efficaciter revocavit consilium faciendo, quantum potuit, ne provocatio sequeretur, tenent *Bonacin. de Execom. D. 2. q. 6. p. 1. n. 35. Diana, Pereg. Pignat. Lacr. lib. 3. p. 1. n. 852.* Similiter non incurrit, qui approbant duellum suo nomine factum. Incurrit tamen ille, qui non impedivit duellum, cum posset, etiam si pugna non sequatur, quando per ipsum non stetit, quominus iniretur. *Ex Constit. Gregor. XIII.* Spectatores solum quando ex proposito, vel data opera hoc faciunt, quasi duellum approbando incurrit poenas *Trid.* Secus Sacerdotes, si ibi sint, ut audiant confessionem illorum: nec Medici, vel Chirurgi, qui ibi assunt, ut medeantur vulneratis: nec illi, qui per transitum sistant, ut obiter videant: vel si ex occulto duellum, quis aspiciat, non enim est propriè spectator, nec sua praesentia coonestat duellum: vel si aliqui solum ex curiositate, vel casu spectent, vel animo impediendi. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 31. Lacr. lib. 3. p. 1. ex n. 858.* Ab hac excommunicatione potest absolvi Episcopus, si delictum sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum. *Ex Trid. sess. 24. de Reform. c. 6.* Et quilibet Confessarius virtute Bullae

Cruciatae, & Mendicantes ex suis privilegijs ex declaratione *Clem. VIII.* qui ab hoc beneficio excepti Italos extra Urbem commorantes. *Lacr. l. 3. p. 1. num. 861.* In nostra Hispania novissime declaratum est, quod rixa facta, etiam post aliquod tempus elapsum in campo, vel loco occulto; pro duello habeatur, & arbitrio Judicis relinquitur moderare poenam.

178 Clerici ineuntes duellum (de quibus specialius loquitur praefens Rubrica) Jure Canonico antiquo *in c. 1. b. t.* sive ipsi provocaverint, sive provocati acceptent, sunt deponendi, vel perpetuò suspendendi, per sententiam Judicis, ab officio, & beneficio, ut Interpretes dictum text. intelligant. Sitamen mors, vel mutilatio non esset secuta, poterat Episcopus in suspensione dispensare. *Gloss. in c. 1. b. t. V. D. pronendus.* Si Clericus in duello pugnas, per se, vel per alium occidat, vel mutilet, irregularis fit. *c. fin. b. t.* in qua irregularitate nequit dispensare Episcopus. Praterè: *Pius IV. ann. 1560.* statuit in Clericum pugnantem in duello privationem beneficiorum, & inhabilitatem ad illa. Denique, Clericus in duello pugnas puniatur poenis statuis in alios pugnantes Jure novo *Trid.* nam cum delictum Clericorum duellantium gravius sit, quam Laicorum, non debent poenas in ipsos esse leviores. *Sanch. in Dec. L. 2. cap. 29. Suar. de Cens. D. 31. sect. 4.* Ex praedictis poenis absque ulla sententia, etiam criminis declaratoria, incurritur illae, quae nullo jure quaesito privante: ut excommunicatio, interdictum, irregularitas, & probabiliter, etiam inhabilitas ad beneficia obtinenda: quia cum sint latae sententiae statim ligant. Illae verò, quae jure jam quaesito privant, ut privatio beneficiorum, quae jam obtinentur, amissio jurisdictionis, confiscatio bonorum, amissio dominij loci concessi ad duellandum, &c. indigent, ut incurrantur, sententia declaratoria criminis: si quidem valde durum, & difficile est, reum obligare, cas in se ipso executi. *Sanch. in Decal. L. 2. cap. 3. n. 32. Iacovis, lib. 3. p. 1. n. 862.* Ut sepultura Ecclesiastica privetur occumbens in duello, non requiritur sententia condemnatoria, ut deducitur ex *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 19.* ubi utitur verbo: *Careat.* Et *Clem. VIII.* in *Constitut. Illius vices*, dicit: *Sepultura privatus esse volumus.* *Pignat. t. 9. conf. 88. n. 84.* imò nec sententia declaratoria

ria criminis opus est, ut quis privetur sepultura Ecclesiastica, quando est notorium, reum in duello commissio contra *Trident.* & *Constitutiones Apostolicas* esse occisum, Teste ipsius Ecclesiae usu. *Pignat. t. 9. conf. 88. n. 162.* Si verò non sit notorium, ad Episcopum, vel ejus Vicarium casum referri oportet, ut hic, si plene probetur duellum, saltem summarie, reum condemnet ad privationem sepulturae, & suffragiorum Ecclesiae, si tamen haec probatio nequeat haberi adhibitis diligentis debitis, poterit in loco sepeliri, secreto tamen, & sine pompa. *Pignat. t. 9. conf. 88. n. 162.* Si tamen longè absit Ordinarius, potest Parochus defunctum in duello, quando delictum non est notorium, sepelire, & postea Ordinarius, publicato crimine, possit in ejus poenam praecipere exhumari cadaver. *Lacr. lib. 3. p. 1. n. 863.* Occumbens in duello privato datis poenitentiae signis, ex consuetudine solet in loco sacro sepeliri. Si verò in duello publico decedat, ei denegatur sepultura Ecclesiastica, ut patet ex *Rituale Rom. edito jussu Pauli V. in Titul. de Exequijs*, ibi: *Negatur sepultura Ecclesiastica morientibus in duello, etiam si ante obitum dederint signa poenitentiae.* Alias numquam, vel raro huic poenae locus esset, cum plerumque vulnerati, si aliquantulum supervivant, aliqua dent signa poenitentiae. *Gonzal. in c. fin. b. t. n. 10. Pignat. t. 9. conf. 88. n. 166.* Si verò vulnere accepto in duello post unum, vel alterum diem, duellans obiisset, poenitens tamen, & à peccatis absolutus, cum non in ipso conspectu decedat, de quo loquuntur Constitutiones Apostolicae, & *Trid.* non est talis à sepultura Ecclesiastica excludendus, ut tenent *Trullench de Jur. Paroch. cap. 9. dub. 7. n. 7. Lexan. t. 2. V. Duellum, n. 14. Diana, Lacr. lib. 3. p. 1. n. 884.* contra *Thom. Hurt. t. 2. tr. ult. ref. 5. §. 6. num. 196. Pignat. t. 9. conf. 88. n. 164.* Qui mortuum in duello sepeliunt in loco sacro non excommunicantur, cum nullibi haec poena statuta inveniatur.

TIT. XV.

De Sagitarijs.

179 Christiani, quando bellum iustum est, possunt quibuscumque armis, & modis bellum ge-

rere. *c. 2. 27. q. 2.* atque adeo per sagittarios, hoc est, per eos qui ex arcibus simul, & semel plures sagittas in hostem dexterè jacere sciunt, & per ballistarios, id est, per eos, qui strage plurium hostium, ex ballistis, seu catapultis saxa in hostes mittunt. Sed cum hodie praedictorum usus jam defecerit, & in eorum locum tormentarij, & bombardarij successerint, qui glandes, globos plumbeos, pilas ferreas, vel lapideas ex tormentis, & alijs machinis bellicis in hostes ejaculant, eorum usus in bello iusto, etiam inter Christianos incho, licet, dum non exerceatur incantationibus, aut alijs malis artibus. Praedicta tamen arte nequeant uti Christiani pro hostibus Christiani nominis contra fideles, & Catholicos sub anathematis poena. *c. un. b. t.* & quidem talis excommunicatio est latae sententiae, & reservata Pontifici. Nec item possunt fideles dictam artem ballistarum, vel tormentariam Infideles docere; *arg. c. 6. de Judaeis.*

TIT. XVI.

De Adulterijs, & stupro.

180 Adulterium, de quo prima pars praefentis Rubricae, licet aliquando sumatur latè pro quacumque conjunctione carnali non conjugali. *c. 4. 32. q. 4.* tamen propriè est violatio alieni thori: vel fidei, & thori conjugalis, ex *D. Aug. de Bon. Conjug. cap. 4.* & dicitur adulterium, quia adulter praeter suam ad alteram accedit. *cap. 15. 32. q. 5. L. 1. tit. 17. p. 7.* ibi: *Adulterio es verro, que ome face à sabiendas, y haciendo con muger casada, d' desposada (de praesenti) con otro: è tomò este nome de dos palabras de latin: alter, y thorus, que quiere tanto decir, como ome, que va, è fue al lecho de otro. Potestque committi, vel à marito alieno cum soluta, vel e contra ab uxore aliena cum soluto, & dicitur adulterium simplex, vel unilaterale, vel potest committi à marito alieno cum aliena uxore, ac proinde bilaterale dicitur, estque duplex adulterium: & cum utroque modo fides conjugalis violetur, utrumque est verè, & propriè adulterium. *c. 15. §. 16. 32. q. 5.* Adulterium autem bilaterale seu duplex gravius est, siquidem non tantum laedit adulter propriae uxoris fidem, sed etiam alterius mariti jus, & aliquando, etiam liberorum. Siquidem fi-*